

1751

C O D I C E S

1752

Fol. 95. De bona pacifica vita cum resignatione propria. Initium: Si vis deo digne uiuere &c. ut T. cit. p. 276.

Fol. 96. p. 2. De eleuatione mentis ad inquirendum summum bonum. Init: Uacate et uidete &c. ut T. cit. p. 258.

Fol. 101. De verbo incarnato eterno et immenso super omnes docentes animam illuminante. Initium: Lucerna pedibus meis &c. ut T. cit. p. 260.

Fol. 106. De estuanti desiderio anime cum fuerit uisitata a verbo unico sponso suo dilecto. Initium: Domine ante te omne desiderium &c. ut T. cit. p. 262.

Fol. 107. Oratio de abrenuntiatione omnium mundanorum. Incipit: Domine ihesu christe spes mea &c. ut T. cit. p. 266. Atque hanc sequuntur IV. aliae eodem ordine, quo in Impressis. Duae igitur defunt in Codice, qui clauditur: Explicit liber thome kempis. Qui Autorem LL. de Imitatione Christi norunt, facile etiam de hisce Opusculis ferent sententiam.

DCCXXVIII

R. 3093

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 195. 4. non una manu, nitidissime tamen perscriptus, rubricis comtus, et postremo, antequam Bibliothecae nostrae inferretur, Monasterij sanctae Dorothee in Vienna completur I. Regulam sancti Benedicti Abbatis, cujus Prologus incipit: Ausculta o filii precepta magistri

&c. Sequitur Index Capitum 73. quorum primum: Monachorum quatuor esse genera manifestum est. Omnia, prout saepe typis uulgata, et nominatim in Holstenii Codice Regular. edit. Brockianae Aug. Vindel. 1759. T. I. p. 113. f.

II. fol. 33. Incipit prologus dompni Bernhardi uenerabilis Abbatis Casinensis in expositionem regule beati Benedicti Abbatis. Ita quidem: Legitur in prouerbij. doctrina prudentum facilis. Ideoque qui sapientiam docere student, non subtilitates, sed profectus discipulorum et utilitates querere debent. Ad quos Expositionem suam dirigat, audi: Cum igitur dilectissimi fratres Thoma decane, et Conuentus sacri monasterij Casinen. ipsius beati institutio Benedicti — obscuritatem nullam prorsus noscatur lecta cum studio continere. mirandum quod beati patris nostri regulam declarari petitis plenius et exponi. Precipue cum smaragdus abbas. paulus. petrusque dyaconi monachi casinenses — sue uobis expositionis reliquerunt scripturas. quas in bibliotheca monasterij reseruatis. Expositionis modus is est, ut singulas Prologi et ipsius Regulae $\pi\epsilon\rho\kappa\omicron\pi\alpha\varsigma$ minio ex integro praescriptas uerbis suis illustret. Ita v. g. Obsculta o filii precepta magistri &c. Obsculta. Alia litera habet. abscultu. Quod quidem dicunt esse rectius. tenetur tamen aptius dictum. obscultu. nam ob ponitur pro simul. sicut ibi. Obaudite me diuini fructus. Et sicut dicitur. Obtempera o filii. In-
terie-

1753

A S C E T I C I .

1754

teriectionem ponit non superfluum ut puta. ac si diceret bis fili. ut bis vocatus ad audiendum sit magis attentus &c. Ad calcem Tabula expositionis prescripte, et: *Orate pro scriptore fratre uestro. Amen.* Dixi paullo plura de hoc Commentario, quoniam typis nunquam vulgatum fuisse puto. Autor Gallus, Monachus primum *Savinianensis*, dein Abbas *Leriniensis* et *Cassinensis*, tandem purpura Romana condecoratus vel ab *Urano IV.* vel a *Clemente IV.* video enim dissentire Scriptores. Cognomen ei *Aiglerio*, annus extremus 1282. fuit. Ad de eò *Oudinum T. III. col. 474.* et *Erasmi Gattulae Hist. Abbatiae Cassin. P. II. pp. 435. 484. et seq.*

Addita est calci manu Sec. XV. haec Nota: *Dominus Anselmus pie memorie Professus huius Monasterij scripsit premissam expositionem super regula beati Benedicti abbatis. Sed ipsam regulam beati Benedicti, que premititur expositioni, scripsit pater Antonius professus in Mellico, qui huc venerat de Specu. Orate dilectissimi pro ambobus.* Atque ex ea certum mihi fit, Codicem in *Mellicensi Austriae* infer. Coenobio scriptum fuisse, in quo coepta est reformatio Status monastici per *Austriam* sub praedicti Seculi initia agente maxime *Nicolao de Matzen* nostrate, qui circa annum 1403. in Monasterio *Sublacensi*, cui *D. Benedicti Specus* adjuncta, monachum induerat, atque inde a 1418. quinque colonos secum in

Austriam, adeoque *Mellicum* deduxit. Horum primus erat supra dictus *Antonius de Catalonia*, qui vitam apud nos ad an. 1437. produxit, teste *Mart. Kropfio* in *Biblioth. Mellic. p. 218.* apud quem totum Reformationis negotium a p. 144. exponitur. Ad *Dorotheanos* Codex illa occasione devenire potuit, quod *Nicolaus* cum his in primis piae Confoederationis pactum iniit, ut idem *Kropfius p. 193.* refert.

DCCXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 335² XV. Folior. 213. 12. eleganter exaratus, et rubricis distinctus exhibet I. *Regulam S. Benedicti* Monachorum in Occidente Patriarchae, cujus Prooemium incipit: *Ausculta, o fili, precepta magistri &c.* Prooemium excipit Index *Capitulum LXXIII.* et hunc Textus ipse, prout extat in *Lucae Holstenii Codice Regularum* rursus edito a *Mariano Brockie Aug. Vindel. 1759. T. I. p. 113. f.*

Fol. 102. Incipiunt capitula sequentis libri. Capitulum primum de imitatione christi et contemptu omnium vanitatum mundi. Notantur omnia XXV. Capita primi huius Libelli *Kempisiani* a tribus ceteris, quod non insolens, divulgum, sed Textus ab his C. XX. verbis: *In silentio et quiete proficit anima deuota, et — — excidit, usque ad C. ult. verba: expendas fructuose. Vigila super te ipsum &c.* Accedit Clausula miniata: *Finita*